UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Admirandvm vindictae divinae theatrvm

Tympe, Matthäus

Monasterii Westphaliae, 1611

Scripturæ S. prophanatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-51314

Visual Library

pentina perduci. perijt infelix dolore exſiccatus & mœrore cõſumptus deſperationis dêribus deuoratus, & triſtẽ animã diabolo extorquente deceſſit, ſepulchro vero caruit proiectis oſſibus eius in aquas vel potius oſſa exhumata in fluentia fuerunt proiecta, Anno Chriſti 1105.

SCRIPTVRA SACRA CAELESTI animaduerſione ab humana prophananatione defenditur.

MIrãti Ptolomęo Rege cur nulli neq; hiſtorici neq; poëtæ veteres diuinorũ librorũ meminiſſent, Demetrius Phalereus reſpondit (vt ex Ariſtęo referunt Ioſeph. lib. 12. antiq. c. 2. & Euſeb. lib. 8. præpar. Euang. c. 1.) diuinam hanc ſcripturam eſſe, atq; à Deo ipſo datam, propterea ſi qui prophanorum hominum eam attingere voluerunt, eos à Deo percuſſos continuo reſilijſſe. Affirmauitq; Theo- f.
pompum quendam, quod aliquid diuinorum voluminum græca oratione ornare voluerat, ſubito mentis quadam agitatione diuinitus immiſſa vehementer perturbatum ab incepto opere coactum eſſe deſiſtere, Theodorum vero Tragœdiarum ſcriptorem quòd neſcio quid è diuina ſcriptura ad fabulã quandam transferre decreuerat, luminibus captum orbatumq; eſſe: ita repentina calamitate inſignem temeritatem continuo eſſe repreſſam.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN